250
L
Ob

y Lau

Z. Z.

Ex Libris
~~[illegible]~~



DIVUS LEOPOLDUS PIUS PIETATE IN DEUM, ET HOMINES;

UTRAQUE
MORTALIBUS UNA, ET IMMORTALI DEO
CHARISSIMUS
PANEGYRICA ORATIONE
CELEBRATUS
INTER ANNUA EJUSDEM
DIVI TUTELARIS
SOLEMNIA
CORAM SENATU, POPULÓQUE ACA-
DEMICO UNIVERSITATIS LEOPOLDINÆ
WRATISLAVIENSIS SOCIETATIS
JESU,

SUB RECTORATU

ADMODUM REVERENDI,

AC

EXIMII PATRIS,

P. CAROLI TROILO

è Societate JESU,

Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctoris,

Collegii Academici ejusdem Societatis JESU Wratislaviæ, nec non Almæ Universitatis Leopoldinæ

RECTORIS MAGNIFICI,

Dicente

Reverendo, ac Doctissimo Patre,

P. ANTONIO BOLL

Societatis JESU,

AA.LL. & Philosophiæ Doctore, in eadem Universitate Leopoldina Philosophiæ in annum IIdum Professore Regio, Publico, ac Ordinario.

Mense Novembri die 15. M DCC LIII.

CUM LICENTIA ORDINARII.

Wratislaviæ, Typis Academicis Collegii Societ. JESU,

Impr. Joannes Christophorus Schluncke, Factor.



ORATIO.



X quo ad ſolemne LEOPOLDO Babenbergenſi Auſtriaco laudis tributum voce penſitandum Tuo, Celeberrima Univerſitas, imperio evocatus ſum Orator: nihil antiquius habui, atque ut idem ferè laudationis aſſumam argumentum, in quo verſati ſunt in dicendi genere exercitatiſſimi, quibus parem provinciam decernebas.

Elaborabant alii in eo, ut Patroni Tui ſpeciem nobis effigiémque à pietate amabilem delinearent non ad oſtentationem ſolùm facultatis ſuæ, ſed ad oblectationem etiam audientium, qui ea ſe ſaltèm imagine, cujus rem amplius tenere non poſſunt, deludi ſuaviſſimè patiuntur: alii Ducem pietate meritum res ſecundiſſimas, rebus ſecundiſſimis ad pietatem uſum omni eloquentiæ amplitudine ità perſecuti ſunt, nihil ut ab iis veræ laudis detractum, nihil falſæ commendationis affictum eſſe videretur: alii demum armatam Marchionis pro DEO, & populo ſtrenuè decertantis Pietatem temperata dicendi gravitate commendabant. Ità omnes in LEOPOLDO Principem Pium vel exhibebant ad ſolatium, vel exprimebant ad delicias, vel ad venerationem conſecrabant.

Horum ut inſiſtam veſtigiis, &, quidquid in me facultatis eſt, id totum LEOPOLDI Pietati tribuam, omnia ſuaſerunt, quæcunque Oratorem pro roſtris dicturum decet expendere. Suaſit locus tot aris Cœlitibus ſacris plenus, ac ipſa

 ſingu-

ſingulari Sanctiſſimi Numinis præſentia redundans, qui laudari petit aliud nihil, quàm pium; nec aliter, ac piè; ſuaſit Tutelaris ipſe, de quo loqui jubeor, cui, ut aliis appellatio Magni, Felicis, Pulchri, itâ cognomentum Pii unanimi acclamatione obvenit; ſuaſiſtis & vos Auditores Sapientiſſimi, dum non de Duce, ſed de Patrono piiſſimo à me dici voluiſtis.

Unde Militem alii Sanctum, hi Ducem in cœlo, terrâque triumphantem, illi in hominum Gubernatore LEOPOLDO Sanctum DEI Servum colant, venerentur, obſtupeſcant: ego laudis argumentum neque præſenti loco accommodatius, neque huic Duci glorioſius, neque Tibi, Celeberrima Univerſitas, jucundius eſſe exiſtimo, quàm LEOPOLDUM exhibere Principem ſuperis æquè ac hominibus Pietate gratioſum; Cui tam naturale erat, acceptum ſemper eſſe omnibus; quàm ſingulare aliis, factis, dictíſque nemini eſſe injurium. Nam ſi ſupremi Numinis expleret juſſa, non adverſabatur hominibus: & ſi his nolens adverſaretur, vel hac ratione DEO placere conabatur.

Atque ut, in quo omnis mea verſatur oratio, intelligatis, ità habete: LEOPOLDUS cognomento Pius. Pius, pietate in ſuperos; Pius, pietate in homines: utraque mortalibus unà & immortali DEO chariſſimus. LEOPOLDUS quia Pius, Amor DEI, id primum: Amor Populi, id alterum. Quod utrumque ut eloquar confidentiùs, Tuam MAGNIFICE RECTOR Gratiam, Tuam Ampliſſime Cancellarie Benevolentiam, Veſtrum Spectabiles Decani, Eximii, Clariſſimi, Doctiſſimíque Seniores, Profeſſores, & Doctores Favorem, denique & veſtram Auditores Patientiam piè indulgete, ac favete.

CÙm LEOPOLDUM vobis proponere ſtatuo, quem dilexit Populus, quem etiam DEUS amavit, LEOPOLDUM inquam, in quo ſibi homo, & DEUS æquè complacuit; illud me nè quis putet aſſumpſiſſe laudationis argumentum, quod eſt planiſſimum. Rem enim ſummis eſſe implicatam difficultatibus Principem reperire, qui factis, dictíſque juvenili, & provectæ ætati, ſummis & genere infimis, mortalibus æquè ac Supremo Numini placeret, vel me tacente compertum & exploratum videri cuique poteſt. Eò namque major eſt Ducis labor ac difficultas vota omnium & deſideria implere, quò excellentior illius apud omnes eſt gravitas & majeſtas; & quò altior dignitas, eò amplior infimis diſplicendi facilitas. Princeps vel ea abdicet, ad quæ humanus quemque trahit affectus, nondum metam attigit, quo ſubditorum omnium collimant voluntates. Sagum, togámve induat, ſeveritatem, aut manſuetudinem exuat, aut utrumque conjungat, necdum omnibus ſatisfaciet; aut ſi hominibus probabitur, facta DEUS improbabit. Adeò

durum

durum nempe eſt, Principem ſic poſſe regere omnium animos, ut omnium ſimul ſerviat voluntati. Sol, ipſe ſiderum Princeps, ſeu invideat orbi radios, ſeu hos largus diſpenſet, ſuos tamen ſemper habet maledicos & obtrectatores. Rerum omnium creatarum naturam ſcrutare, & perſcrutare, nullam reperies, quæ effectibus ſuis prodeſſet omnibus, nulli unquam obeſſet.

Quod igitur affinitate inſolens, raritate prodigio ſimile apud Vos eſſe contendo; illud ſibi LEOPOLDUS Pietate ſua vendicavit. Habes Piiſſimo in Patrono tuo, Ampliſſima Senatûs, Populíque Academici Corona, Principem, cui pietas attulit ſic placere omnibus, ut nemini diſpliceat; & ſic nemini diſplicere, ut vel ideo DEO placeat immortali.

Atque cùm certiſſima ad conciliandos ſubditorum animos via ſit, primùm ſibi Superorum gratiam demereri; qualem Sanctus hic Marchio Numinis amorem Pietate ſua meritus ſit, hoc loco diſcutiamus. In domicilia ſua elegiſſe videbatur Ter Optimo Maximo DEO dicatas ædes, ut Princeps Pius Regis Regum Immortalis obſequiis propior ſemper aſſiſteret; in his ſupplex ad aras proſtratus humi ſe demiſerat, ut animus altiùs ad Superos, precum ſuarum terminum, evolaret: ibi conſcientiæ maculas frequentiſſima confeſſione inter defluentes ubertim lacrymas, pios amoris indices, eluerat: ibi ipſo Euchariſtiæ ſuſcipiendæ tempore tanta pietate, tot ſuſpiriis Hominis DEI adventum jam moræ impatiens exſpectaverat, ut incenſus DEI amore animus planè è corpore Servatori ſuo obvius ire velle videretur. Fuêre illi etiam abditi Aulæ receſſus, ubi interdiu in dulci ſacrarum rerum meditatione quieſcebat, noctu ad orandum vigilabat, ut ità tempus omne Numinis amori conſecraret. Hac inflammatus pietate non modò morabatur domeſticos inter parietes, ſed & in publicum progrediebatur; Urbes ac Provincias, cùm ſe ſolùm in DEUM flagrare ſatis non haberet, Numinis amore ſuccendebat; neque ſubditis aliter imperare voluit, niſì ſummo ſervirent Imperatori DEO; & quos majeſtate præibat, hos pietatis, religioníſque exemplo præcedere ſtudebat. Utque pietatis ſuæ poſteritati etiam relinqueret teſtimonia, Clauſtro-Neoburgenſem, & ſacram ad S. Crucem ædem ſuis divitiis exædificavit; Melicii verò quondam à Majoribus exſtructam è ruinis excitavit, ſuíſque opibus liberalitate Principe digna locupletavit; in quibus, ut ipſe literis, quibus eas ſtabilivit, teſtatur, homines DEO dicati diu, noctúque amando, colendóque Numini ſervirent, dum ipſe Patriæ negotiis inſervire cogeretur. Adeò parùm fortunæ è provinciis eductæ ut ut ampliſſimæ privatis Principum commoditatibus deſerviunt, dum ærario pietas præeſt, quæ commune ſibi illud habet cum fluminibus, ut dum parentem

 ſuum

ſuum magnum nôrunt oceanum, in ejus gremium revolvantur. Quantum jam putatis A. A. huic pietati amorem ſupremus rerum omnium Arbiter rependerit? quis neget LEOPOLDUM omnium maximè Numinis animo inhæſiſſe, cùm & ipſe omnia abjiceret, ut DEO firmiùs adhæreret.

Sed quoniam duo ſunt præcipua, quibus ad amandum impellimur; perſpectus alterius in nos amor, & morum ſimilitudo, quæ mater amorum dicitur; quemadmodum Sanctus Marchio noſter primum exhibuit, ubi pietate ſua omnia amoris officia amato Numini exſolvit; ità alterum conſecutus eſt, dum piam regendi rationem, quantùm humana patitur conditio, à divina mutuavit. In eo verò (ſi licet in illo, quod infinitum eſt, metam aliquam humanæ ſolùm intelligentiæ conformem ſtatuere) in eo inquam verò æterni Numinis Pietas, qua mundo præeſt, poſita eſſe videtur: ut rerum ab ſe creatarum naturam, & indolem certis legibus contineat; orbis compaginem arcto ſibi cohærentem nexu conſervet; & inſurgentes Elementorum pugnas componat. Atqui pietatis hujus perfectam imaginem in LEOPOLDO videmus. Ferebat ille leges, quibus collapſam diſciplinam erexit, firmam jam roboravit, ruinas meditantem vindicavit ab interitu. Ardentior Auſtria eſſe debuit in ſui Numinis cultu, dum quot leges, tot radios à ſole ſuo ferventiſſimo accepit. Cùm autem peſtis nulla tam fatalis eſſe poſſit legum reverentiæ, quàm inveterata morum feritas, & ſylveſtris incolarum indoles; hos ad humanitatem, iſtos ad manſuetudinem revocavit. Néve ſonante claſſico leges obmuteſcerent, quarum vocibus animata reſpublica conſervatur; effecit etiam, ut optatiſſima pacis otia viveret Patria, quam adversùs frementes circum fines ſuos exercitus ſola armatus pietate tuebatur. Hinc agrorum fertilitas, multitudo populi, annonæ copia, emendati hominum mores, ſuperbus Civitatum ſplendor, florens reipublicæ ſtatus, quæ etiamnum tenet hæres Auſtria, fructus ſunt poſthumi pacis à Pio Principe ſtabilitæ.

Verùm non Pacificum modò Numen audit, cujus pium regnandi Inſtitutum imitari voluit LEOPOLDUS: Exercituum etiam DEUS eſt. Maluit quidem paternam ditionem hæreditate acceptam potiùs felicitate cumulare, & illuſtrare optimis præceptis, quàm triumphis; bellum tamen neceſſitate gerere debuit, ut hoſtem pietate vinceret. Jure nullo, auſu maximo, odio duce, furore comite, armis iis, quæ terram inundant ſanguine, & fumantes urbium ruinas in novas flammas ſcrutantur, ferro nempe ac igne Solum Auſtriacum invaſit coronata Stephani, Pannoniæ Regis, impietas. Cædes, & funera denuntiabat. Quin imò rapinæ damno irreparabiles, civium excidia clade atrocia, interneciones ſubditorum crudelitate barbaræ, reipublicæ uni-

univerſæ interitum minabantur. Adeò repentina, quæ nec ſagacitas ipſa prævideat; adeò periculoſa, cujus diſcrimina nulla ſatis prudentia caveat; adeò multiplici, cui vix ipſa fortitudo ſufficiat, belli tempeſtate Auſtria obruebatur. Quid jam tantos inter turbines ageret LEOPOLDUS? egit, quod divino afflatus conſilio, agere debuit: eduxit primùm exercitum non copioſum, ſed plenum robore, qui numerum inimicum viribus, fortitudine ferociam, contumaciam frangat conſtantiâ; ſic militi militem, manum manui, vim vi opponebat; ipſe verò ſingulari certamine congreditur cum impio Duce ipſo non telo inſtructus, ſed ſtipatus pietate; ità paribus ſimul, & imparibus armis occurrebat: & dum miſſis in cœlum precibus exercitum armavit ſuum, hoſtilem ſola impietate fultum debellavit. Fugit inſolito pulſus impetu Rex ſuperbus; ſed fugit, ſervatus in pugnam alteram, in novam cladem, in ſimilem LEOPOLDI triumphum, ubi, qui antea legibus juſtitiæ faſces inclinare renuit, jam bis victus inclinare ſe ipſum debuit Principis Auſtriaci Pietati. Moderamen ità ſuum in ingens Patriæ emolumentum piiſſimè cœpit, promovit, confecit LEOPOLDUS; eáque maxima, quæ mortalibus conceditur, pia divini Gubernii æmulatione, ut & optimis inſtitutis providerit Auſtriæ, & in æquabili quiete conſervarit, & malevolorum hominum rabiem piiſſimè compoſuerit.

Præterea quàm proclive factu Principi fuit in moderanda republica Supremi Regnorum, Regum, Cæſarum, & Sæculorum Omnium Regis, ac Imperatoris DEI pietatem imitari; tam expeditum habuit divinas perfectiones cæteras æmulari. Atque ut de ejus clementia, qua, Oratore teſte, nulla re propiùs ad Superos accedimus, taceam; quis penè infinitam ejus in regendo Prudentiam, in agendo Providentiam, in ordinando reipublicæ ſtatu Sapientiam; quis in rebus excogitandis alacritatem, in exequendis facilitatem, in conſtitutis firmitatem poterit non dicam exornando, ſed vel recenſendo aſſequi? quæ deinde Ejus in decernendo æqualitas? quæ in judicando juſtitia? quæ fortitudo? quæ lenitas? quæ in omnibus conſtantia? Conſtantia inquam, qua vel ſola, cùm nihil homine inconſtantius, ità mortalium ordinem tranſcendit, ut neſcio quid divini ſpirare inciperet.

Qua enim in re DEI immortalis Majeſtatem amplius aut colimus, aut admiramur, quam Eum in tanta rerum viciſſitudine, mutabilitatéque immutabilem ſemper permanſiſſe, ut quem anteacta ſæculorum ſeries nunquam incipientem viderat, hunc neque præſens creſcentem, neque deficientem ventura, omnis verò ætas eundem, & in ſuarum perfectionum plenitudine immobilem ſit demiratura. Quod ſi ità eſt: in quo DEI imaginem meliùs formatam, atque in LEOPOLDO ſuſpiciemus? quem neque ſiniſter caſus

deje-

dejecit, neque secundus erexit; qui idem sibi semper constitit, cùm in DEO, quem sibi vitæ statuit exemplar, firmissimè pius consisteret. Quis jam fieri posse credat, ut DEUS tam fortem virtutum suarum sectatorem, tam divinarum perfectionum, quantùm homini fas est, studiosum non amet, non in deliciis habeat? eum vel maximè, à quo ipse summa semper exceptus est pietate, obsequio, amore.

Et verò præclara certè divinæ in eum Benevolentiæ testimonia sunt urbium, ac provinciarum ipsi subditarum salus, fortunarum abundantia, civium pax ac tranquillitas, copiosa progenies, longa Posterorum series, quibus in vita: & infinita propè miracula, quibus post mortem est condecoratus. Verùm dixisse sufficiat: LEOPOLDUM eum se Pietate exhibuisse Principem, quem DEUS non posset non amare. Jam humanus in LEOPOLDUM populi amor in contentionem vocetur.

NOlim existimetis A. A., dum de captanda hominum benevolentia apud vos disseram, me de vano illo hominibus placendi studio disputare, quo mortalium nonnulli ità toti vivunt aliis, ut commodis propriis mori non exhorrescant: id quod prudens quisque turpe ac insanum semper habuit. Quid enim aliud est vitam, fortunas, animam adeò ipsam in benevolo aliorum studio constituere, quàm magnificam, ingentémque molem infirmo, humilíque fulcimento committere, ut certiùs corruat: aut mollem, tenerámque compagem aquæ immergere, ut citiùs diffluat, & conteratur.

Alia longè erat in LEOPOLDO animorum conciliandorum ratio; dum sic charus volebat esse aliis, ut simul DEO charissimus existeret; sic viribus, opéque humana niti, ut firmiùs in DEI potentia, bonitatéque consisteret. Pietate gratiam Numinis demerebatur; Pietate etiam sibi amorem populorum voluit comparare. Illuc tendebant piissima Ejus in pauperes liberalitas, piissima in subditos bonitas, piissima in omnes clementia. Quibus ille virtutibus Pietatis sociis id tandem effecit, ut nulli non esset in deliciis, boni omnes illum ùt Pium Patrem complecterentur, mali verò sic ejus justitiam extimescerent, ut de Ejus mansueta pietate sibi quàm plurima, & quàm maxima pollicerentur.

Jam cùm in bonos, malósque omnia hominum genera distribuantur; rem confectam habeo, si LEOPOLDUM eum fuisse Principem ostendero, qui ad bonorum, pessimorúmque gratiam ità piè vixerat, ut inevitabili necessitate adducti Eum amarent omnes, nullus unquam odisset.

Præ-

Præcipua Principum virtus clementia eſt, & liberalitas. Hæc Principes facit; & quos invenit ſupra hominum vulgus, & omnem dignitatis excelſitatem attollit, &, cùm nullus iis in orbe par ſit, Superis ipſis æquales reddit. Quod ſi vim illam nunquam inveſtigatam, quæ magnes ferrum allicit, ſibíque arctiſſimè adſtringit, nunquam ſatis obſtupeſcebamus; quæ mens, quæ ratio poterit comprehendere, quo pacto fiat, ut Principis bonitate aut munificentia eidem ſubditorum corda non modò conjungantur, ſed in unum etiam cum eo coaleſcant. Probos & optimè de DEO, de republica meritos ampliſſimis Princeps afficiat muneribus; nemo bonus erit, qui non eum ùt oculum ſuum, aut ſi quid oculis eſt charius, diligat, & tueatur: in mulctandis reis comitatem & facilitatem gravitati ſuæ ſeveritatíque adſpergat; nemo malus erit, qui non apertè dicat ſe in judice Patrem & inveniſſe, & amare. Quid mirum igitur, ſi boni omnes incredibili ſtudio LEOPOLDUM proſequerentur, cùm profuſiſſimè pia fuerit ejus largitas & beneficentia? tam copioſas ille dignitates, munera, opes in alios contulit, ut miraretur quisque, unde ille inexhauſtum adeò haberet largitionum fundum; LEOPOLDUS verò eum infinitum non eſſe quàm maximè doleret. Nemo tum erat, in quo ſolertiam in artibus addiſcendis, contentionem animi in ſcientiis, aſſiduitatem in laboribus requiras: omnes ſuis ſe exercebant operibus, ille novitatibus inveniendis, hic expoliendis antiquitatibus ſtudium, & operam omnem impendit: arma miles, libros eruditus, artifex quisque artem ſuam ſic adamabant, ut, ubi totos in ea deſudâſſent dies, noctes etiam conſecrarent; certi nempe ſe laborantibus ſuum quoque Ducem laborare, qui ſubditorum ſudores, ac vigilias meritiſſimis præmiis, ac dignitatibus exhilararet. Et verò ſpe ſua adeò non ſunt deluſi, ut eam etiam munera multitudine, & magnificentia ſuperârint. Ità mercedem labori debitam recipere mercenario tribuebat; ampliora meritis dare Ducis eſſe æſtimabat. Tam profuſa Principis in donando beneficentia qua debuit in amando ſubditi liberalitate compenſari?

Sed fuerit LEOPOLDUS in literatos, fuerit in homines bene de ſe, de republica meritos beneficus: an eadem quoque in miſeros, & calamitatibus preſſos uſus ſit benignitate, hoc contendere oportet. Et ſanè videbatur LEOPOLDO ærumnoſos inter infortunatósque homines campus ſibi apertus, in quo cum Trajano, aut Tito de pietate, liberalitatéque decertaret. Cùm adhuc intrà juventutis annos ejus verſaretur ætas, jam in illo miſericordia, pietáſque redundabat; at dum ad ſolium extolleretur, in innumeros ſe gratiarum fontes ac rivulos, unde miſer quisque levamen hauriret, effundebat; roris inſtar, qui quò altiùs aſſurgit, tantò copioſiores ſeſe in imbres profundit.

Aditus ad illum patebat omnibus: veniunt petentes? omne habuit momentum gratia; miseri aliqui veniunt, & calamitosi? scelus putabat se in eos non esse pium, aut beneficum. Neque jucundius unquam credo fuisse spectaculum, quàm videre LEOPOLDUM, dum ille aure benevola de sua querentes fortuna exciperet, flentibus lacrymas abstergeret, pusillanimes solatiis levaret, desperantes erigeret, omnes denique Ipse, omnibus omnia factus, pietate, clementia, liberalitate sustentaret. Quare gravis erat non nullorum ab Eo recedentium oratio: nos saucios recreavit, nos opibus donavit: hoc Duce ærumnas fregimus, gaudia retulimus: nunquam adeò calamitates nostras doluimus, quàm sibi eas cordi sumpsit Ipse, cùm clemens, tum largus. Hoc quanti putatis esse ad commendationem Ducis, ad gloriam LEOPOLDI? nempe sibi Ipse natus videbatur, & in solio constitutus ad salutem innocentium, ad opem impotentium, ad auxilium calamitosorum. Omnes igitur calamitosi esse volebant, ut suo, quem charissimum habebant, fierent Principi chariores.

Infinitus sim, si recenseam, quam ille in pauperes adhibuerit liberalitatem. Nam quod orbis Servator Christus pronuntiavit, hoc altissimè LEOPOLDI animo defixum semper hæsit: in paupere DEUM semper ut cognoscas. Hinc prompta illius omnibus succurrendi voluntas, hinc aperti in subsidium thesauri, hinc exhausta ferè ad sublevandas ipsorum fortunas æraria, hinc illorum cura propemodum solicita, dum ipse non rarò ægris sic omnia ministraret, sic de omnibus provideret, ut velut pauperum famulorum unus salutem suam posteriorem salute ipsorum ducere videretur. Ipsi quæso videte, & perspicite, qua ille pompa, qua comitante caterva ingrediatur: quâ gressum figit, sequuntur inopes; ubi consistit, ibi ad pium Principem stant importuni pauperes: quo iter destinat, illuc jam omnis ex omni latè regione egestate pressus confluxisse videtur. Non miror Auditores, quod temerarius non nemo alienigena LEOPOLDUM pauperibus stipatum prætervehi videns dicere ausus est: aut Principem esse pauperem, aut avarum, qui nè famulos quidem magnificentiùs convestiret. Non enim dignitatis amplitudinem è longo famulantium ordine metiri licuit, sed inopum hominum circumfuso agmine fores obsidentium; non è festivis inter aularum atria clamoribus, sed pauperum gemitibus, licèt & isti diu audiri non poterant, quos continuò in gratiarum actiones pia liberalitas convertit; non denique è splendido in sui commodum & existimationem apparatu, sed ingenti cura, atque solicitudine, qua afflictam egentium sortem solaretur. Nempe montem antè radicibus, terram centro, quàm à LEOPOLDO pauperes avelles. Miseratio LEOPOLDI Solem imitabatur astrorum omnium beneficentissimum,

qui

qui vapores terræ attrahit, non ut sibi colligat, sed ut in arescentem subinde terram effundat. Jam si, teste Seneca, officia etiam feræ sentiant, nec ullum tam immansuetum sit animal, quod non cura, ac beneficium mitiget, & in amorem sui vertat; quis studia, quis officia, quis optimas subditorum in LEOPOLDUM voluntates dicendo complectetur? ego certè sic mecum statuo: jucundius nihil fuisse, quàm LEOPOLDUM, subditósque videre, quibus illi mutuis inter se certârint officiis; ille munera, hi gratias cumulando, uterque mutuum amorem prorsus incredibilem referendo.

Sed quid tandem habet admirationis à bonis pium, liberalémque amari Principem? Eum vel ab improbis non posse non amari, hoc in LEOPOLDO tam singulare, quàm exploratum est. Nemo judicare, nedum comprehendere poterat, quam vim incredibilem, & propè singularem ejus habuerit severitas, quæ, dum terrorem improborum animis injiceret, nîl nisi benevolentiam, studia, amorem reportaret. Scilicet consceleratissimus quisque, & in omni flagitiorum genere volutatus, si omnem boni, rectíque amorem abjecisset, odium tamen LEOPOLDI sibi non imperaret; cum mitissimus Princeps, si severum induere judicem cogeretur, misericordem, clementémque Patrem exuere non posset. Neque tamen velim existimetis LEOPOLDUM tam fuisse facilem, ut in omnibus conniveret; neque tam levem, ut tacitus omnia negligeret; aut nimia cum clementia tam incurium, ut scelera impunè grassari pateretur. Melli quoque suos habuit admixtos aculeos, quos in delinquentes tam felix torqueret, ut iis audacem peccandi licentiam prosterneret, reorum simul corda sui amore configeret. Nam si pro tribunali sederet, aut scelera, si vulgo non essent nota, graviter reprehensa celaverat; aut certe supplicia, si fas esset, minuerat; clemens semper & mansuetus, si plecteret, & si condonaret. Si crimine aliquis in summum capitis discrimen arcesseretur, quæ tum cura, quæ sollicitudo Marchionis, ut in crimen cum justitia inquiratur, de inquisito cum clementia judicetur, de judicato cum benignitate decernatur. Mors denique, si decreta foret, tum LEOPOLDUS Summa cum justitiæ veneratione misero indolere, sententiam, si posset, lacrymis exstinguere, Ipse denique antè duplicata amoris, & doloris morte emori, quâm unâ maleficus moreretur. Cùm tantam in judiciis mansuetudinem, tam inusitatam inauditámque in ferendo necis suffragio clementiam viderent rei; ità sunt erecti, ut fortunarum ablationem, supplicia, vitæque interitum alacri, fortíque animo perferendum putârint. Sic nempe, cùm severitas deposceretur, vicit naturam LEOPOLDUS; & tam vehemens fuit, quàm cogebatur, non quàm volebat. Præsidio omnibus etiam alienissimis, vix cuiquam exitio esse exoptabat; quo factum, ut dicerent nonnulli:


nulli: præſtare LEOPOLDUM lædere, & veniam petere, quàm nunquam offendere. Neque eorum, qui tam pios liberalitatis & clementiæ fructus in momenta percipiebant, aliquis fuit, qui ejus Pietatis famâ majora longè ſe comperiſſe non profiteretur. Omnibus, ſubditis & alienigenis, probis æquè ac improbis una vox erat: piè liberalem, piè clementem, hoc eſt: omni pietate in homines abſolutiſſimum Principem Auſtria habet in LEOPOLDO. An luculentius requiri poſſit teſtimonium, quàm quod ipſa confert etiam impietas? nemo negabit has laudes eſſe veras, quas illa aſſerit: fallere poteſt hoſtis, dum accuſat; nunquam fefellit, dum laudat. Quare nihil nos jam moratur, neque audientium animos morari poteſt, quin in eam nobiſcum ſententiam abeant, LEOPOLDUM ob munificam ac clementem in omnes Pietatem, Patrem Patriæ, populi delicias, Auſtriæ gaudium, Imperii vitam, orbis amorem, & ſi quid majus eſt, ex vero dici oportere.

Quid tandem dicendum reſtat, ubi incredibilis LEOPOLDI in mortales non minùs ac Superos Pietas totum penè cum amore ſermonem exhaurit. Sufficiat, quod Divo Marchioni ſuo Auſtria debuit, Pietas innata contulit, hoc Eidem acciuere præconium: LEOPOLDUS cognomento Pius. Pius, pietate in homines; Pius, pietate in Superos: utraque mortalibus unà, & Immortali DEO Chariſſimus. Nec plura: ſed ad Te ſe mea convertit oratio Celeberrima Univerſitas! Tuæ modò, & quandoquidem tuus eſſe mereor, meæ etiam atque etiam felicitati gratulor. Habes in LEOPOLDO, Quem dare pro imperio tuo ac dignitate ſingularem non potui, Interceſſorem, Cui omnem debes & amorem, & venerationem. Fortunatiſſimam Te omnes gentes prædicabunt, ſi cultu, quo nulli etiamnum ceſſeras, piiſſimo ſemper ornaveris LEOPOLDUM, Quem demeritis meis minùs Pium

D I X I.







Pie
Zá g
Fo
zakonie ,